

turnam copulam Saturni, Martis, Mercurij, cum stellis fixis nat. Sat. Mar. mense Nou. præcedente etiam copula Sat. solis. Nam quid possit vnus aspectus Martis atq; Merc. potissimum circa stationes, manifestè ostendit hyems portentosa anni 1564. Solent enim aspectus eiusmodi ventos ciere siccos & aquilonios, siue etefias, qui penetrãdi facultate hybernum frigus adaugent, terræque superficiem expressione humiditatis incrustant. Semel autem disposita tellus deinceps facilè à causis consimilibus alteratur, vt in febricitãtium corporibus manifestum est. Verùm si frigus hybernum causæ qualitatem significat, cur persistente causa non etiam nunc medio Ianuario eadem cœli inclementia perseuerat?

Multa in hoc prodigio superant mortalium fidem. Nam primò, vel quid sit, dicere non admodum promptum est. Stellam verò si quis asserat, non physicis tantùm, sed & mathematicis demonstrationibus & obseruatis hætenus conuincetur. Hoc enim duntaxat nobis aperiant, quo sydere quam constituat cœli partem. Nam & solitè omnes apparent, & nulla accedit noua, cū cœli natura sit ingenerabilis, incorruptibilis: stella autem pars cœli planè consimilis rationis. Videtur tamen, quia scintillat, materie tam stabili permanente, planetis cæteris quoq; superior. Minus multo cometen aut exhalationem quampiam esse docebis. Nam quãdo vspiam cometæ species istiusmodi visa est, quin omnes aut comã, aut barbã, aut gladium, aut hastã, aut tubã, aut cornu, aut clypeum, aut formam alicuius Pyramidis exhiberēt? Nisi solarem velis, quem Rosam obseruatores veteres nuncuparunt. Sed vbi humana facies? Vbi capilli? Vbi purpureus color? Vbi motus ille inæqualis, qui exhalationes accensas lege nature perpetua comitatur? Est autem aspectus cometarum subtristis semper, atque minacior, nunquã scintillans, malorum non tam signũ quam causa efficiens, dum raptus in sublimem ætheris regionẽ à Sole accenditur, hac illac impulsus inæqualiter, caudãq; iaciens illi semper oppositam secũdum lineam rectã. Vnde & morbos epidemicos aere iam inflãmato, & catenatim insanos regum